



CAE

10  
A  
666



OU Kopie

Y 9 4 8  
G 11





Q. D. B. V.

De

23  
23  
**MERCURIALI-**  
**BUS MEDICAMENTIS,**

SUB PRÆSIDIO

*VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLEN-*  
*TISSIMI ET EXPERIENTISSIMI*

**DN. CHRISTIANI VATER,**

**Phil. & Med. D. Anat. & Botan. P.P. cele-**

**berrimi, Phys. Provincialis meritissimi & Acad. Nat.**

**Curios. Collegæ dignissimi,**

*Dn. Patroni, Hospitis & studiorum suorum*

*Promotoris omni observantiâ colendissimi,*

Ad d. Jun. A. M DC XCV.

*In Auditorio Medico*

differeat

**JOH. CHRISTOPH. PEZOLDUS,**

Mega-Glogâ Siles.

---

VITEMBERGÆ,

Stanno CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.



53

MER CURIALI

BUS MEDICAMENTIS

ON CHRISTIAN VATER

PHARMACOPŌIA

PHARMACOPŌIA







Tirerum omnium, ita Medicami-  
 num sua quoque fata certasque  
 vices esse, intra quas modò lau-  
 dibus, nunc vituperiis feruntur,  
 ad alia subinde atque alia se con-  
 vertentibus mortalium animis, ex-  
 emplo eorum, quæ ex mineralibus,  
 & imprimis mercurio vivo petun-  
 tur, manifestè liquet: Quippe quæ  
 jamdudum licet ab Artis Chemicæ  
 peritis inventa inq; forū nostrum  
 medicum, ad edomandos superandosque pertinacissimos ho-  
 minum morbos, introducta fuerint, fieri tamen nondum po-  
 tuit, ut ab omnibus æque admitterentur, quin potius à plu-  
 rimis etiam in hunc usque diem negligantur, immo tanquam  
 maligna, deleteria, & naturæ humanæ prorsus inimica dam-  
 nentur; sive quod parandi & administrandi eorum modos  
 legitimos ignorarint, aut etiam ex iisdem, minus ritè paratis  
 applicatisque infidos & funestos successus viderint. Et certe,  
 si ullum in medicando obstaculum, quod effectum sæpè in-  
 tentum minus assequantur medicamenta, præcipuum mihi  
 semper visum fuit infida minusque accurata mineralium ge-  
 nerosiorum præparatio; sed propterea horum usus non pe-  
 nitus negligendus, aut intermittendus, quin potius omnibus  
 modis & conjunctis viribus eò laborandum erat, ut tanto la-  
 bore tantaque industria & sumptibus immensis à majoribus  
 nostris inventa, nostro quoque studio ulterius perficiantur &  
 ad majorem perfectionem evehantur, quandoquidem ea  
 multorum morborum, nostris imprimis temporibus, indoles  
 & pertinacia facta, ut non nisi heroicis & summæ activitatis  
 reme-

A



remediis, quorum vis non statim in primis viis ab humoribus morbificantibus suffocatur, sed quæ integris & præsentissimis viribus ad intimos & remotissimos viscerum omnium recessus penetrant, succosque tam variè degenerantes ad pristinam temperiem reducunt, cedere velint: quam in rem more suo graphice *Pechlinus non vulgata*, inquit, *magis mutato jam morborum habitu in deterius, auctisque eorum symptomatis gravissimis prodesse videas, sed nova usque sollicitari remedia, quadam etiam invisæ & olim veneni suspecta; quæ si quis repudiare vellet & contemnere, frigerent sanandi formulæ, steriliorque esset Medicina jam pridem. Herba quondam sufficiebant, sed nunc nec metallis parcendum, quò habeamus, quæ extirpandæ infixæ altius malignitati valeant. Ille Mercurius Chemicorum Proteus atque instar Martis Homericæ ἄλλον πρὸς ἄλλων; illud Antimonium semi-metallum aliæq; unica sunt, & rarissima Medicorum pignora, absque quibus si essent, jaceret Medicina sine succo & sanguine. Quæ cum ita sint, operæ mihi pretium visum fuit, Medicamentorum, quæ è Mercurio minerali, vivo dicto, fieri possunt, præparationem & analysin ipso igne suscipere, & quæ circa potiora mihi visæ observataque sunt, Thesisibus hisce exprimere. Faxit Numen benignissimum, ut, quod exinde spero, commodum emolumentumque in Ipsius Nominis gloriam & proximi nostri salutem cedat!*

Thef. I.

Quandoquidem temeritatis crimen effugere non potest Medicus, qui medicamina, in primis generosa & chimica a agris suis propinat, quorum naturam ipse ignorat, nec præparationes illorum intimè perspexit, id mihi de Mercurialibus omnium generosissimis, adeoq; periculosissimis, summâ semper circumspeditione præparandis & adhibendis, dictum putavi: Unico autem verbo indicasse jam sufficiat, hujus loci non esse principium illud Chemicum Paracelsitarum, aliàs fictum, nullisque hætenus rationibus, aut experimentis demonstratum; neque Mercurium illum Philosophorum, quem adepti sibi servant, eoque, si Diis placet, aurum suum argentumque efficiunt, nec etiam planetam istum, facie motuque mutabilem,

lem,



lem, à quo etiam Veteribus medicamenta spirituoſa volatilia, mercurialia dicuntur; Sed liquorem illum metallicum, colore & splendore argenteum, fluidiſſimum & maximè ponderoſum è globulis metallicis tenuiſſimis & ſumme lævigatis conſtat, qui aliàs à splendore & fluiditate mirabili argentum quaſi vivum, ἰδέειν ὕδατος, argentum aqueum & fluidum, aqua non medefaciens manus, appellari conſuevit.

Theſ. II.

Ab initio quidem ultro fateri neceſſe habemus, quod unici hujus corporis apparenter homogenei, natura mirabilis tantis omni tempore involuta fuerit tenebris & difficultatibus, ut plus ſemper ſcrupuli, quàm cognitionis, plus admirationis, quàm ſcientiæ in ſcrutatoribus naturæ generarit, & niſi major temporibus noſtris ab experimentalis Philoſophiæ affuſerit felicitas, omnem adhuc induſtriam & conatus eluderet: Jam verò, continuato & exulto experientorum ſtudio, innotuit magis, verſipellem hunc Proteum non niſi ex meris globulis metallicis, è quibus tandem ipſa metalla fiunt, conſtare, iis tamen adhuc tenuiſſimis ſummè lævigatis & mobilibus, minusque fixatis, qui in omnes formas mutari poſſunt. Ideo naſcitur ſolum in terris & fodinis metallicis, & è mineris Cinnabaris, Minii, Hæmatitæ aliisque copioſè elicitur: Nihil quoque niſi metallicum in ſe admittit, metalla verò, in primis aurum, fulguris inſtar arripit, quæ unio amalgama, quaſi malagma fortè Veteribus dicta, eamque auri, mercuriique ſocietatem jam tum *Vitruvius, Plinius* aliique docuerunt, quorum exempla ſecuti alii idem in argento, ſtanno, plumbo reliquisque metallis cum ſucceſſu tentarunt. Ferro quidem & cupro difficilius adhæret, procul dubio ob paucitatem mercurii, terreis crudioribus partibus immerſi, quæ fluorem quoque horum metallorum in Igne difficiliorem reddunt; Nihil ſocius tamen his quoque metallis, terreis partibus primùm reclusis, intimè uniri poteſt, de quibus ſi placet, legantur Acta Haſſn. A. LXX. obſ. 67.

Theſ. III.

In Metallis quidem perfectis intimiori jam vinculo ligatus &

Est  
Liquor metallicus.



& fixatus est ☿, quam ut leviori negotio ab iisdem separari & pristinâ facie reduci possit; unde etiam ingens adhuc de ☿io metallorum inter Autores lis est: Et revera fallunt & falluntur illi, qui è ramentis metallorum mediante ☿ ☿to, \*co & similibus Mercurium vivum sibi pollicentur, quandoquidem Mercurius ipse, si quem efficiunt, non tam metallorum, quàm ipsius additi sublimati proles est, quando nimirum vinculum ☿inum ☿ ☿ti metallorum quoque partes aggreditur, inter digestiones sensim cum floribus \*ci avolat, & vivum Mercurium sui juris relinquit: sufficit tamen alios ☿ium hunc metallorum demonstrandi modos non deficere, quos tamen hic recensere nihil attinet. Legantur de his si placet *Becherus Phys. subterr. S. 5. C. 3. n. 16. Taken. Hippoc. Chim. p. 34. Zuvelffer. Mantysf. spagy. p. 349. Langelott. Epistol. ad Curios. Wedelius in Pharmac. Acroamat. p. 85. ubi, tres ad minimum modos Mercurium saturni parandi sibi constare, asserit; & in Ephem. German. Dec. 2. A. 1.*

Thef. IV.

Poterat quidem natura Mercurii metallica ex ipsius coagulatione artificiali quoque sufficienter colligi; etsi quidem coagulationes tales, quæ mediante ⊕ & ⊖ communi, aut ☿no sunt superficiales tantum sint: exquisitius tamen ligatur si ☿ cum argento in amalgama redigitur, & dehinc mediante oleo ☿i à Calce viva abstracto ad insignem fixitatē digeritur. In Japonia Mercurium pulvere ossium Cercopithecorum figi & malleabilem reddi refert *Excell. Wedel. l. c. p. 176. ex Arnold. Montan. Legat. Japon.* Et quid Cinnabaris nativa, nisi Mercurius caogulatus ad cujus imitationem factitiam quoque è ☿e ☿ii & Mercurio ☿to fieri notitius est, quam quod notissimum. E quibus omnibus efficitur, Mercurium nostrum in radice nihil aliud, quam metallum esse, & materiam præcipuam metallorum omnium constituere.

Thef. V.

*Mercurii  
elementa.*

Quod si vero in sua principia priora resolvatur Mercurius, fatendum rursus, quod nullum in natura corpus deprehendatur, cujus omnes partes sibi similes magis, & anatrice homogene-



genearum semperque immutabiles sint, indique reperti nondum sunt, qui corporis hujus, alias mollissimi & in speciem apertissimi elementa seorsim exhibere & demonstrare poterint; & si quæ diversa per artem prodeant, dubium semper relinquitur, utrum partes constitutivæ & essentielles, an non potius nova, per transpositionem & additionem partium producta, existant. Helmontius quidem ejusdemque sectatores, uti omnium corporum, ita & Mercurii in simplicissimam aquam, reductionem mediante suo Alkahest spondent, sed nunquam ostendunt: neque aquam istam insipidam, quam Mercurius vasis inclusus, &  $\Delta e$  fortiter agitatus ostendit, teste Boyleo in *Chimist. scept.* & Agricola in *Popp.* ejusdem essentialem & constitutivam, sed mutuatitiam tantum esse credo, eo quod in pondere suo hoc ipso non immutetur. Propterea tamen nulli dubitamus, mercurium non esse aliquod corpus simplex, sed maxime heterogeneum, ad minimum ex elementaribus istis terreis & aqueis partibus compositum; quandoquidem nullum in natura mixtum absque terreis partibus consistentiam solidiorem, & absque aqueis intimiorem mixturem & unionem habere poterat: neque simpliciora & priora elementa sive è natura, sive scriptura constant.

## Thes. VI.

## Generatio.

Procul dubio ergo intra Geocosmi uteros è vaporibus aqueis & terreis calore & motu intestino excitatis, alias per naturam ramosis, flexilibus, iisdemque inter se variè combinatis & contextis generantur primum particule ejusmodi unctuosæ & viscosæ, quæ successivè in globulos tales vel molleculas summe lævigatas & fluxiles abeunt. Argentum vivum jam tum antiquissimorum, Geberi aliorumque, usu erat aqua viscosa, per calorem temperatissimum unita, unione tali per minima, quousque humidum à sicco æqualiter temperatum, i. e. partes aqueæ à terreis ita modificatæ, & per minima mixtæ sunt, ut hæc non permittant aliis, nisi homogeneis coherere: Alias non magna differentia est inter aquam elementarem & hanc mineralem, eoque solum distant, quod hæc pro-



propter intimiorem unionem & complicationem, densior  
 graviorque sit, nec cuivis, nisi sibi proportionatis adhæreat,  
 quemadmodum aqua ipsa corporibus tantum asperiori su-  
 perficiè gaudentibus, minus autem lævigatis & pingvibus, co-  
 hæret, eaque humectat.

Thef. VII.

An & quo  
 The gaude-  
 at?

Sed Theinum quoque principium in ipsa generatione Mercurii concurrere exinde colligere licet, quoniam aliàs Theia è missionibus elementorum primorum resultat, neque liquor iste metallicus consistentiam & coagulationem, metallis adeo affinem, aliunde habere paterat, quamvis propterea necessum non sit, ut Theis formalis, sive acidi, sive alcalici, aut mixti præsentiam, quamdiu sub eadem texturâ existit, in eo concipiamus, sed sufficit, quod, uti Theia quævis mixtorum è diversa combinatione figura & textura particularum continuo oriuntur, ita quoque in productione & maturatione novorum corporum pereant & immutentur. Sal acidum aut ad minimum falsum in Mercurio existere *Borrichius Act. Hafn. A. 71. Observ. 77.* colligebat, quoniam lamellæ chalybeatæ purissimæ eidem immersæ rubiginem quandam contrahunt. Verum quid obstat, quo minus erosio aut solutio ista ortis superficialis etiam ab alcalico sale, aut absque omni The, à motu solum & impulsu globulorum Mercurialium, quo ipso certè aurum aliaque metalla solvit, fieri possit. Multominus sequitur Mercurium purificatum in sinu suo acidum minerale & Thecum gestare, quoniam metallis Thecis facilè unitur, Theia acida è corpore nostro secuin rapit, vermes fugat, nervoso generi nocet &c. hi enim effectus, uti notissimum, à diversis aliis principiis fluunt, & inferius ulterius patebit: Quemadmodum quoque non sequitur, eundem Mercurium alcalico The gaudere, ideo, quod ab acidis menstruis eroditur & solvitur, cum iisdem in corpus Thesum abit, & acida quævis morbofa in corpore nostro potenter infringit & immutat: Ea enim omnia citra Theis alcalici præsentiam à tereis quoque, aqueis, metallicis fieri, toto die videmus.

Thef.



7. 80  
Thes. VIII.

Pari ratione partes verè  $\Delta$ eas, pingves & inflammabiles *An  $\Delta$ e gan-  
in Mercurio latere colligunt communiter è Coloribus diver- deat ?*  
sis, quibus inter præparaciones varias, præcipuè præcipita-  
tiones & sublimaciones ludere solet: Sed dubito, an sin-  
gula hæc sufficiant probare, quod probare debent; quando-  
quidem colores quicunque nihil aliud sunt, quam ipsissima  
lux umbris diversimodè modificata, reflexa & refracta, cui  
etiam solam pororum texturam, tot modis immutatam, suf-  
ficere, innumeris hodiè experimentis & rationibus constat,  
quæ studio hic prætermittimus, videri autem possunt *ap.*  
*Rob. Boyl. de Coloribus. Honorat. Faber Tract. Physic. III. L. 1.* Ejus-  
modi calces coloratas etiam metalla ipsa exhibent, quæ o-  
mnem ignis flammam eludunt, & licet cum spiritibus  $\Delta$ eis  
vinosis digestæ in offam, vel sapam inflammabilem abeant,  
ea tamen inflammabilitas non metallis, sed spiritibus addi-  
tis reputanda. Hinc  $\Delta$  tale, in primis Mercurii, internum ex-  
ternumque ridet *Zwelffer. Apolog. contra Taken.* illudque Chi-  
meram non visibilem, non perceptibilem & nunquam à Mer-  
curio separabilem vocat.

Thes. IX.

Arsenicales partes semper & necessariò Mercurio etiam *Vel Arseni-*  
purificato subesse, injuria eorum est, quibus ex præconce- *co ?*  
ptâ opinione venenosos & malignos in corpore nostro effe-  
ctus præstare creditur, quorum tamen rationes non in ipso  
Mercurio, sed inepta ejus præparacione & applicatione, aut  
etiam  $\Theta$ ibus malignis & acribus, jam tum in corpore latentibus,  
ab hoc medicamento solùm excitatis, quaerendæ erant:  
Ita quidem est, quòd è mineris primùm eruto scoriæ sæpi-  
ùs & impuritates minerales, imò metallicæ cohæreant, ideo  
in Cochleari  $\Delta$ i expositus, & in vaporem resolutus macu-  
lam modò flavam, modò fuscam, nigramve relinquit: Et  
mediantibus lixiviis ex  $\dagger$ to,  $\Theta$ e com: vel Calce vivâ aliis-  
que, fæces omnino nigras satis ostendit: Habemus tamen  
præter lotiones & expressiones ejus per corium, alias adhuc  
B fidissi-



fidissimas præparationes, per destillationem præcipue, quando cum  $\text{FeO}$  calcinato & Calce vivâ terendo miscetur & dehinc aliquoties è retorta destillatur: ubi profectò omnis metus de partibus arsenicalibus, si quæ adessent, & metallicis removeretur.

## Thes. X.

*Mercurii  
affectiones.*

Sed majorem attentionem merentur mirabiles in Mercurio qualitates & affectiones, ad quorum ingenium non vulgus solùm, sed eruditorum quoque natio, ut cum *Borrichio* loquar, stupet. Qualitates quidem in eo primas, ut vulgo vocantur, haud adeò sollicitè rimabimur, eò quòd satis hodiè constet, tales non tam in rebus ipsis, quàm modis, sensus nostros afficiendi, relativis consistere; ex quo etiam fit, quòd una eademque res modò calefaciat, modò refrigeret pro statu & applicatione ad sensoria nostra diversis. Frigidus omnino semper tactui nostro apparet mercurius sibi relictus, eò quòd globuli ejus densissimi, gravissimi & maxime lævigati arctè sibi incumbant, se invicem premant, nec motus caloris expansivos sensorio hac ratione inducant; propterea tamen non sequitur, quod per se & suâ naturâ frigidus sit, semperque effectus frigiditatis habeat. Ipsissima Olea, spiritus ardentes, aliaque actu frigida calefaciunt satis, si in motum concitantur: quòd nec mercurio denegatum; Quemadmodum è contrario argumenta, quæ ab aliis pro caliditate potius mercurii afferuntur, à nimia ejusdem subtilitate, mobilitate, volatilitate, & operositate petita, non solùm calidis, sed etiam actu frigidis, acidis, acris aliisque competunt. Ita qualitates alias occultas suspicari, nulla jam necessitas urget, quando quidem omnes ejus effectus à manifestâ partium texturâ derivare licet: Ex defectu olim experimentorum, & rationum exinde fluentium, conceptibus tantisper generalioribus opus erat, quibus autem, lumine naturæ nunc accensò, inhærere amplius velle, turpè foret.

## Thes. XI.

Satis vero manifestè in Mercurio patet summa fluiditas & mobi-



*mobilitas*, cujus adeò tenax est, ut vel centies immutatus, sublimatus, præcipitatus, fixatus, naturam tamen suam primigeneam & mobilem nihilofecius inviolatã & incorruptam servet, indeq; quacunq; occasione datã, & levi sæpius negotio in pristinam formam redeat; Dicitur proinde non incommodè aqua metallica, æque ac communis fluens & sibi quoq; proportionata i. e. metalla humectans. Eam vero mobilitatem & fluiditatem non nisi à figurã particularum globosã & summè lævigatã habet, quam oculis quoque armatis in minutissimis ejus molleculis deprehendere licet; Omnino enim sequi arbitror: quoniam globulis semper rotundis apparent subtilissimæ Mercurii particulæ, ergò quoque minimæ & invisibiles atomi ejus tales sint, necesse est. Aliis quidem oblongæ & flexiles videntur, quoniam omnes formas recipit Mercurius; metallorum, imprimis auri, poros tam promptè perreptat, supra linguam agitatus papillas ejus mollissimè tangit, in sublimatione cum salibus acidis spicula eorum obvolvitur, & annulorum instar ambit, ut omnem prorsus aciem amittant, & quæ sunt aliæ rationes, quas tamen singulas globositate potius, quàm ramositate & flexilitate particularum, ostendere crediderim: Quoniam enim globuli ejus minimi indefinitæ tenuitatis, summè lævigati & politi, sibi invicem absque implicatione accumbunt, fieri non potest, quin ab æthere, aliisque impellentibus, facillimò negotiò agitentur, & volvantur; eo ipso metallorum poros pervadunt non solum, sed etiam obstacula & stamina loco pellunt, & texturam eorum dissolvunt: Globuli potius spiculis salium poris suis adherent, eaque obtundunt, & in lingua agitati, tam molliter fluitant vix tactu perceptibiles.

Thef. XII.

Fluiditati huic conjuncta est insignis *Elasticitas & Volatilitas*: Æque enim ac aqua, aliaque fluida, mirificè extendi rursusque coarctari potest. In Thermometris à sola applicatione manûs tepidæ manifestè intumescit, igni verò moderato



derato expositus subsultat, & nonnihil aucto in auras planè abit; imò metalla, quibuscum in amalgama redactus, secum rapit. Ex hoc fundamento metallorum in  $\Delta e$  fluor dependet; quoniam enim nihil aliud sunt, quam ipse Mercurius, variò caractere diversificatus, & coagulatus magis, contingit, quod globuli ejus à motu rapidissimo  $\Delta is$  contremiscant, ac fluctuent, evolare tamen haud facilè possint, nisi in quibus, uti  $H$  &  $Z$ , minùs firmiter ligati sunt: hæc enim, utpote laxiora metalla, quotiescunque  $\Delta e$  rigidiori funduntur, in pondere suo imminuuntur, relictis tandem nihil, nisi scoriis & cineribus terreis, quorum compedibus aliàs detinebatur Mercurius.

## Thes. XIII.

Sed Volatilitas ejus ex eo adhuc magis elucescit, quoniam corpori nostro extrinsecus solum applicatus, imò cortice vel capsula inclusus, & de collo suspensus, effluvia sua ad intima usque mittit, cum manifestissimo effectu, quo humores omnes liquefcunt, lymphæ per loca exteriora largiter fluit, lac augetur, scabies, aliaque ulcera exsiccantur, vermes necantur &c. uti inferius ex effectu generali Mercurialium patebit. Id circo etiam Mercurium jam tum in familiam spirituum retulit *Windig. Medic. spir. l. i. c. vii 1.* qui in fumum præsertim resolutus, nihil nisi spiritus penetrantissimi, naturam acquirit; neque opus est, ut ad irradiationes amplius intentionales, aut spiritales confugiamus, quandoquidem molleculas ejus volatiles à calore sufficienter actuari, & ambientis ætheris impulsu ad intimos usque recessus cum humoribus distribui, oppidò deprehendimus.

## Thes. XIV.

Propterea tamen nihil obstat, quò minùs Mercurius sibi relictus & quietus ad corpora quoque ponderosa & gravia pertineat. Diximus enim ab initio, quòd liquor sit metallicus & ponderosus, quia omnia corpora gravia etiam metalla, excepto solo auro, pondere superat: quatuordecies  $\nabla a$  pondus excedit, si ad bilancem examinatur, de quo *vid. Bernoul*



*noul de Gravit æther. p. 63* Ita enim cum gravitate & levitate comparatum, ut pro texturâ & mutatione pororum eadem corpora modò gravia, modò levia reddantur: Ipsum aurum, aliàs ponderosissimum, leve tamen redditur in folia, vel ramenta tenuissima redactum: Et Mercurius tam diu gravitatem auro proximam retinet, quamdiu globuli ejus densissimi & politissimi arctius sibi invicem accumbunt, nec transitum ætheris liberiores admittunt: Quamprimum verò tam subtilissimæ & summè lavigatæ particulae à calore, vel alio principio operoso, in motum semel rediguntur, ipsi quoque non denegatum, ut æquè ac atomi quæcunque ultro citroque cum aère evolent & transeant. *Videtur, inquit Excell. Wedelius Amœn. p. 464. Mercurium corpus quidem frigidum, torpidum, sed alas indeptum summè est activum: solutus & ligatus est; solutus liquore metallico aqueo concentratissimo intimè combinatis particulis Æris, Ætheris & terreis, & quamdiu soluta sic eadem, tamdiu mobilis: Ligatus, quoad vires harum, parent enim menstruo, parent solventi: simul ac verò dissociatur, ut non fluat amplius, nullum sub sole videas magis activum medicamentum, emeticum, sudoriferum, purgans, Universale.*

Thef. XV.

*Mercurius*

Ita ergo comparatus Mercurius innumeras planè medicinas suppeditat, quarum quasdam præcipuas jam lustrare *crudus est insignis Medicina.* animus est; Neque enim singula decomposita recensere hic attinet, quoniam fundamentò explicatò, clavis adest ad reliqua inde oriunda. Paulò antè verò meminimus, quod Mercurius etiam crudus, purificatus tamen, medicaminis optimi loco inservire possit, quandoquidem extrinsecus mediantibus unguentis & emplastris applicatus, aut solum capsulae inclusus, & de collo suspensus, atomos suas volatiles ad interiora corporis mittit, & ulcera, scabiem, luem & eam, lepram, vermes, aliaque mala, modò, inferius explicandò, feliciter abigit. Usus talem Mercurii etiam Antiquissimis jam tum notum fuisse, constat, cum Tonsores quidam primum, *Fracastoro teste Libr. 3. de Morb. contagios. præter medi-*



camenta ab antecessoribus suis ad scabiem, luemque venerenam, unguenta quoque; è  $\text{☿}$  &  $\text{♁}$  invenissent, nec infeliciter cederent, à Medicis postmodum non solum in lue  $\text{☿}$  ea, sed innumeris aliis affectibus curandis, non sine successu uti ceperunt, ut ut de modo operandi prorsus incerti. Immo & usum ejus internum, si non magis, æque tamen tutum esse, successivè innotuit, in quem finem extant pilulæ è  $\text{☿}$  vivo, imprimis Barbarossæ dictæ & à *Jul. Cas. Claudino in Empyr. Ration. Blegny Zodiaco Gallico, Th. Meyerne*, aliisque mirificè commendatæ. Quò etiam pertinet, quando cum saccharo in pulverem tritus, aut, quòd adhuc elegantius, decoctum solum ejus in aquâ, aut succo appropriato, exhibetur; ubi non tam Spiritus, vel sal aliquod occultum, sed ipsissimus Mercurius per minimas atomos decocto conceditur, pro insignissimo vermium remedio: Taceo, quòd ad  $\text{♁♁}$ , vel ultra, in angustiis & obstructionibus intestinorum exhibitus nihil noceat, modò circumstantiæ singulæ ritè observentur, ut adeò falsus omnino sit Helmontius, qui, quamdiu Mercurius revificari possit, viri boni remedium haud esse, contendit.

## Thes. XVI.

*Fundamentum Præparatorum Mercurialium.* Dum autem viderent Curiosi, quàm generosè Mercurius crudus, etiam extrinsecus solum exhibitus, humores in corpore universo alteret, corrigat, & innumeris planè morbis medeatur, utilissimo sanè studio de variis ex eo præparandis cogitarunt, quò aliis quoque medicamentis tam nobilis Medicina commodius misceri, pluribusque scopis & morbis applicari posset. Extat quoque eam in rem jam ingens farrago præparationum apud *Schræderum, Unzerum* aliosque, quarum tamen multæ satis ineptæ, & perversè admodum factæ ab iis, qui, in Mercurio corrigi quid debeat; ignorarunt. Cum enim per antea demonstrata constet, omnes ejusdem affectiones à textura & figura particularum summè lævigatarum & volatilium fluere, quæ, uti ab æthere & calore ambiente tam promptè impelluntur, & continuo voluntur,



vuntur, ita in corpore nostro receptæ & à Calore actuatae tam subitaneas resolutiones, fusiones humorum efficiunt, sed nimias sæpè ac violentas, quàm par erat: Unde opus tantum erat, mobilitatem & fluorem ejus nimium in tantum temperare & cœercere, nec tamen prorsus destruere, aut alienas & noxias qualitates eidem addere. Et in hunc scopum omnia è mercurio parata sive humida, sive sicca, per sublimationes, aut præcipitationes, cum vel sine additamenti facta, collimare è sequentibus videbimus.

## Thef. XVII.

Quod per se & absque omni additamento textura Mercurii nimis mobilis & fluida corrigi possit, testatur enchiridis, qua vitrò angustioris colli, ovo philosophico, inclusus tamdiu calore moderato digeritur & calcinatur, donec in pulverem, vel calcem cinnabarinam faceffit; medicamentum certè egregium & nobile, quod cum spiritu oleoso ulterius digestum adeò perficitur, ut non solum nullam vim corrosivam, acrem retineat, vel acquirat; sed in fluore aliàs suo nativo ita temperatur, ut tamen vires suas fundendi absorbendique humores austeros, acidos, acres, integras servare, & quibuscunque medicamentis aliis facilè misceri possit: Est enim nihil aliud, quàm ipsissimus Mercurius sibi relictus, cujus globuli diuturnâ solum digestionem & calcinationem mediante ignis motu adeò divelluntur & transponuntur, ut aliam prorsus in superficie figuram & situm, indeque alium colorem acquirant: non quod  $\Delta$  mercurii hac ratione magis evolutum cum aliis credam, sed quòd pori ejus superficiales nunc magis aperti & ita dispositi sint, ut lucem incidentem colligere & in colorem rubellum modificare possint.

*Præcipitata  
Magisteria  
Mercurii.*

## Thef. XVIII.

Aliis autem & variis adhuc modis textura Mercurii immutari potest, ut in calces tales coloratas abeat, quando nimirum menstruis acidis prius solvitur in minima, eroditur; & post erosionem rursus  $\tau$  tatur: Ita enim fit, quòd ramen-  
ta



ta & spicula salina menstruorum molleculas Mercurii non solum dividant, dissociant, sed poris quoque eorum insinuantur, infigantur quasi, ut hac ratione levitatem & mobilitatem suam amittant, juxtaque se invicem quiescant. Hinc eodem modo, ac per se precipitatus splendorem suum amittit, & e contra colores varios induit; & quod notabile, si mediante aqua forti vel  $\text{H}_2\text{SO}_4$  solvitur, calcem egregie rubicundam, sed à  $\text{H}_2\text{SO}_4$  vel oleo  $\text{H}_2\text{C}_2\text{O}_4$  croceam, & à  $\text{H}_2\text{SO}_4$   $\text{As}$  albescentem, mensuis istis rursus per ignem abstractis, relinquit. Quemadmodum etiam ab uno eodemque menstruo e. g. aqua forti solutus, sed diverso solum menstruo precipitatus, nimirum cum muriâ albissimum, cum oleo  $\text{H}_2\text{C}_2\text{O}_4$  luteum, & cum urina incarnatum colorem induit, manifesto argumento lusus tales colorum à sola texturâ pororum, variè mutatâ, dependere: Exindè etiam precipitata talia in operatione nimium variare videas; singula quidem propter spicula salina, è mensuis absorpta, ingentem acridinem habent, indeque vix tuto intra corpus humanum admitti possunt, nisi novis digestionibus spicula ista invertantur & infringantur, rubicundus tamen longe fortior & acrior est luteo & albo, cum menstruo alcalico, vel muritico  $\text{H}_2\text{SO}_4$  tato, eò quod acies particularum acidarum ab alcalico statim immutetur.

Thef. XIX.

*Panacea  
alba Hartmanni.*

*Mercurius  
laxativus  
Hartmanni.*

Ex eodem  $\text{H}_2\text{SO}_4$  tato albo, cum muriâ factò, Panacæam suam albam parabat *Hartmannus*: Cum enim quævis precipitata Mercurialia, cum mensuis acidis facta acrimoniam ingentem servare videret, album imprimis, & præ cæteris mitius ulteriori Igne calcinabat & digerebat, donec ita mitesceret, ut ad gr. x. xv. absque periculo propinari posset. Nullum dubium est, quod diuturna solum & cæuta calcinatione (nam fortiori igne salia rursus liberantur & unâ cum Mercurio prorsus in auras fugantur) figura particularum rigida insigniter immutetur, imprimis si adjuvantia & proportionata adduntur; Ex quo etiam absurdus non fuit idem *Hartmannus*, quando Mercurium precipitatum communem in spiritu



spiritu vini alcalico tam diu digerere permisit, quousque colorem luteum indueret, eò ipso enim medicinam longè mitiorem, quam Mercurium suum laxativum vocabat, impetrabat.

Tes. XX.

Ea ratio est, quare idem præcipitatum rubicundum post tot *Arcanum* abstractiones spiritus  $\text{Di}$ , postea aceti destillati, dehinc aquæ *Coralli-* ovorum, è spiritu  $\text{Di}$ ,  $\text{O}$ . &  $\text{ti}$  ab albumine ovorum duriter *num.* coëtorum destillatæ, & tandem spiritus vini alcoholisati, in tam egregiam medicinam mutetur, quam *Paracelsus* primùm ulterius adhuc in marmore terendo, & spiritum vini aliquoties ab eodem deflagrando in forum nostrum introduxit, & Arcanum suum Corallinum, à colore eleganti coralliformi, appellavit. Videtur quidem multis hæc medicina à communi præcipitato nihil differre, eis autem usus & praxis contradicit; Imò visu deprehenditur insignis differentia; quando enim præcipitatum, in primis rubrum, microscopiis accuratioribus inspicitur, in eo nihil, nisi ramenta rigida & splendida observantur, in hoc verò arcano corallino molleculæ prorsus obtusæ & ferè globosæ, æquè ac in bezoardico minerali è  $\text{gio}$  vitæ parato. Quis quæso crediderit unicâ solùm abstractione spiritûs  $\text{Di}$  mercurium vitæ ita immutari posse, ut ex violentò vomitoriò optimum & tutissimum fieret diaphoreticum, nisi usus totò die fidem faceret in bezoardico minerali.

Thef. XXI.

Pertinet huc Mercurius fixus diaphoreticus *Helmontii*, de *Mercurius* quò quidem mira nimium, & fidem omnem superantia, præ *fixus Hel-* dicat Author, quòd solus medentum desideria compleat, *montii,* & omnes febres, hecticam, hydropem, luem veneream & quoscunque alios morbos chronicos subito, incantamenti instar, fuget: Ejus autem preparationem & directionem pendere solum ab ejus manu, cui omnis debeatur honor, qui parvulis revelet ejusmodi arcana, quæ mundus vilipendet. Verum è scriptis ipsius constat, quòd Mercurius talis nihil

C

hil



hil aliud sit, quàm pulvis vigonis, i.e. Mercurius præcipitatus è Mercurio vivò, mediante aqua forti & Oleo  $\Theta$ i paratus, cui tantum crebris vicibus novum menstruum affudit, idque multoties abstraxit, donec tot cohobationibus tam efficacissimi menstrui solutum, in pulverem verè fixum redactum observarit. Conf. *Cnæffel. in Ephem. German.*

## Thes. XXII.

*Præcipitata mixta.*

Alia tamen & tutiori viâ corrigi quoque potest Mercurius, ita, ut nec ab acredine, nec motu ejus nimio, aut aliâ malignâ qualitate metus superfit, quando nimirum cum metallis affinibus amalgamatur, uti loquuntur Chimici, & postea demum menstruis aptis solvitur, præcipitatur, calcinatur & edulcoratur satis: Cum enim per supra asserta constet, metalla reverâ nihil aliud esse, quàm Mercurium coagulatum & fixatum; Mercurium etiam ob analogam & prorsus conformem texturam partium, metallis, in primis purioribus promptissimè & intimè uniri, (amalgama enim quid aliud, quàm Mercurius in metalli poros receptus & consignatus) judicare etiam facilè licet, quod per amalgamationem cum metallis intimiùs ligetur mercurius, ut dehinc cum illis conjunctim solutus & præcipitatus, nullam acrimoniam hostilem exferere, neque tamen facilè ad mobilitatem nimiam in corpore redire possit. Atque ex hóc fundamentò prorsus ineptum non est Aurum istud vitæ communiter dictum, ubi mercurius cum aurò purissimò foliatò intimè unitur, postea verò s. a. solvitur, calcinatur & crebris abstractionibus spiritûs vini edulcoratur: Etsi enim ab auro nullas vires cordiales, aliasve específicas, quales sibi vulgò fingunt, hic accedere putem, tamen ab eodem tanquam purissimo & omnium maximè fixatò metallò, globuli quoque Mercurii firmiùs ligantur, ut vix ac ne vix ab eò divelli possint: quemadmodum aliàs in laboratoriiis non nisi fortiori igne abinvicem separantur.

*Aurum vitæ s. Mercurius Diaphoreticus solaris.*

Thes.



## Thes. XXIII.

Par ratio est, quando Mercurio, cum  $\odot$  in amalgama re-*Mercurius*  
 dacto, vitrum quoque  $\text{Sii}$  hyacinthinum triturandò u-*Præcipita-*  
 nitur, postea in pulverem subtilissimum redigitur, & prio-*tus*  $\odot$ is  
 ri modò perficitur: Ita non solùm partibus metallicis, sed  
 $\text{Ae}$  quoque  $\text{Sii}$  combinatur & involvitur, unde non nisi  
 præcipitatum magis fixatum, maximarum virium impetrari  
 potest; quemadmodum ipse  $\text{S}$   $\text{A}$ tus summè corrosivus, so-  
 lius  $\text{A}$ is  $\text{Sii}$  accessione & interpositione, in cinnabarim, e-  
 gregium istud nunquàm satis laudandum, nervinum, ano-*Laudanum*  
 dynam, diaphoreticum &c. mutatur. Ex eodem funda-*Mercuriale*  
 mento fuit quoque Laudanum mercuriale Paracelsi, quan-*Paracelsi*  
 do  $\text{A}$ tatum commune mediante alcohol vini tamdiu dige-  
 ritur, quousque  $\text{A}$  mucilaginosus evadit, certò indicio,  
 mercurium, partibus oleosis vini unitum, & eà ratione quo-  
 dammodo dulcificatum esse, quàm spiritus  $\text{A}$ di quoque, spi-  
 ritui vini rectificatissimò sociati, dulcescunt: Hinc etiam  $\text{A}$   
 iste super mercurium tamdiu digestus, & è cucurbità de-  
 stillatus massam oleosam relinquit, quam Paracelsus forti-  
 ori adhuc igne per retortam urgebat, deinde Crocò  $\odot$ is  
 digerendo intimè uniebat, ut medicinam blandissimam  
 & anodynam acquireret, quam propterea Laudanum suum  
 mercuriale vocabat.

## Thes. XXIV.

Sed loco auri minoribus sumptibus substitui possunt alia *Panacea*  
 metalla, quibus non minus mercurii noxæ corrigi & præca-*mineralis.*  
 veri queunt; Habetur ejusmodi Panacæa mineralis è mercu-  
 rio cum argento & Regulo  $\text{Sii}$  unitò & præcipitatò, cujus præ-  
 parandi modò videatur in *Collectaneis Chemicis Leidenisum*. Hef-  
 lingius verò aurum simul & argentum  $\text{Sio}$ , per omnia fere *Azoth Hef-*  
 metalla prius purificato, operosè & sumptuosè nimis, præ-*lingii*  
 ter tamen necessitatem, jungebat & Azoth suum famosum  
 parabat. Processus vid. ap. *Junck. in Chimia experiment. p.*  
 338. seq. Quò etiam pertinet Mercurius diaphoreticus  $\text{Zalis}$  *Mercurius*  
 dictus, ubi à mercurio cum  $\text{Z}$  anglicò in amalgama redactò, *Diaphore-*  
 & *ticus Zalis*  
 & *Paracelsi*



Calcina-  
tum ma-  
gnum Pote-  
rii.

☿ virid.  
Hartman-  
ni.

& solutō multoties nova aqua fortis generosa abstrahitur non solum, sed etiam vini alcohol crebris vicibus ab eō deflagatur, ut in pulverem satis fixatum, sapore insipidum, & diaphoreticum abeat, cujus rationes ex antecedentibus jam satis superque constant. *Vid. Theophrast. Paracelsus Oper. Chirurg. p. 155.* Idem fundamentum habet calcinatum magnum Poterii, cuius in scriptis suis cum summis elogiis meminit Author; saltem quod ☿ vivo, cum ☿ per amalgama unito, ☿ius quoque ☿t. corrosivus addatur, & sic conjunctim locō humidō in deliquium, redigantur: Hoc deliquium cum aquā forti cautē maritatum destillat in liquorem aurei coloris, quam novo Mercurio vivo purissimo affundit, & forti igne ab eo abstrahit, idque multis vicibus repetitis, novam semper partem liquoris aurei addendō; Quibus certē, utut operosis cohobationibus, mercurius egregiē fixatus ab omni acredine per frequentes edulcorationes & spiritus vini deflagrationes, impetratur. Ita cum ☿e ☿tatus ☿ dat ☿tatum viride *Hartmanni*, cujus descriptionem *Author in Basil Chim. Croll. p. 54.* & ex eo *Sennert. Instit. Med. p. 144.* & *Schræder. in Pharmac. habent*, optimum omnino remedium in gonorrhæa, inprimis virulenta, quam quidem primā fronte exasperare videtur, sed, observatis omnibus circumstantiis & cautelis, certissimē curat.

Thef. XXV.

Mercurius  
diaphoreti-  
cus Dygbei.

Alia adhuc ratione, mercurium diaphoreticum parare docet Kenelm. Dygbeus *Medic. Experiment. p. 232.* nimirum, ut libra I. ☿ vivi detpurati cum ☿is antimonii ℥iv terendo intimiūs misceatur, & postea massa ista novies sublimetur, donec in pulverem cinnabarinum fixum mutetur: Quem processum non solum à Scaphusanis Medicis feliciter tentatū, ex ore zvingeri refert *Eman. König. in Regn. mineral. p. 58.* sed sibi quoque familiarissimum esse scripsit *Tilingius ad Collectores Ephem: German. Dec. II. A. 2. Obs. LXIX.* eisdemque sequentia encomia addidit: *Inter medicamenta è mercurio parata mercurium hunc diaphoreticum in variis periculosis & curatu diffici-*



difficilibus morbis semper magnifacio. Excellens enim & incomparabile certè remedium diaphoreticum est, tam in variolis, morbilis, podagrâ, hydrope, quàm in aliis morbis, evacuationem per transpirationem requirentibus. Omnes experientissimi Artista & Chymici idem mecum commendabunt, dicentes, vires equare auri potabilis, modò ritè fixetur. Thomsonius Epilogism. Chim. p. iio. tantum è mercuriò cum  $\Delta$  com: & \*cò multoties mistò &  $\Delta$ atò pulverem ejusmodi diaphoreticum sibi fieri, meminit.

Thef. XXVI.

Verum non solum  $\Delta$ tationibus ejusmodi variis & calcinationibus, sed &  $\Delta$ ando egregiè corrigi possunt  $\Delta$ ii noxæ. Notum satis est, quod  $\Delta$  vivus, alias innoxius, & solà mobilitate molestus, sublimando cum  $\Theta$ bus itidem innoxiiis,  $\Theta$ e nimirum communi &  $\Theta$ lò in præsentissimum venenum convertatur, cujus proindè nullus, vel exiguus in medicinâ usus, nisi fortè extrinsecus in ulceribus, excrescentiis & similibus; idque ex eò, quoniam inter sublimandum spicula  $\Theta$ ium cum globulis mercurii ascendunt, iisdemque adherent, ita ut ubivis asperitatem & rigiditatem acquirant. Quidni igitur novis & aliis transpositionibus ita mutari possent, ut in optimum & tutissimum medicamentum abirent? Quod nisi jam tum è præcipitatis satis constaret, vel solius mercurii dulcis productione, evincitur: Idem enim Mercurius summè corrosivus deleterius & venenosus, mediante eodem Mercuriò vivò, quod mireris, unitus & denuo sublimatus in blandissimum laxativum, diureticum & alterativum abit, cujus ne quidem integra drachma intro sumpta per se nocet. Nulla verò hic alia ratio subest, quàm quod spicula mercurii sublimati à globulis mercurii vivi undique involvantur & obtundantur. Tantam immutationem una solum sublimatione efficimus, neque opus est reiteratis, modò corrosivus cum anaticà parte vivi, diligenter terendò, satis uniatur, & ritè sublimetur, scoriis superficialibus relictis & secretis.

*Mercurius  
est corrosivus.*

*Mercurius  
Sublimatus  
dulcis.*



*Antiquar-  
tium Rive-  
rii.*

Mediante hoc Mercurio sublimato dulc. etiam Mercurius vitæ vulgò dictus, inter emetica corrosiva præcipuum, ita temperari potest, ut, omni prorsus vi emeticâ sublatâ, tantum efficaciter humores viscosos fundat, acidos infringat, & per vias sventas absq; omni molestiâ eliminet. Ex quo famosum istud *Antiquarium Riverii* constare, non obscure ex Authoris scriptis colligere est, quamvis ubivis obvelare studeat, dicendò, medicamentum istud insigne ex triplici Hercule constare, cui tandem quartus Athleta addatur. Sub Hercule autem triplici mercurium sublimatum, è mercuriò,  $\ominus$ e &  $\oplus$ lò compositum, cui deinde quartus Athleta Mercurius dulcis accedit, ab Authore, intelligi, nullus dubito.

Thef. XXVIII.

*Cinnabaris  
Antimonii  
& com.*

Sed adhuc elegantiori modo Mercurius sublimatus corrosivus corrigitur, & in medicamentum verè polychrestum, cuius ætati proficuum, redigitur, quando unica solum vice ex  $\text{S}^{\text{io}}$  vel etiam  $\text{A}^{\text{e}}$   $\text{S}^{\text{ii}}$  sublimatur, ubi inter sublimandum statim partes  $\text{A}^{\text{e}}$  eas secum rapit, iisdem intimè se unit, ut ex summè corrosivò & venenosò nascatur blandissimum alterativum, nervinum, anodynum, Cinnabaris nempe  $\text{S}^{\text{ii}}$ , quæ nihil aliud est, quam ipse  $\text{S}^{\text{e}}$ .  $\text{A}^{\text{e}}$  tantum antimonii adhuc sociatus, adeoque magis fixatus, ut etiam Cinnabari nativæ, elegantia & virtute, nihil prorsus cedat: Quemadmodum etiam è  $\text{S}^{\text{io}}$  vivo currente &  $\text{A}^{\text{e}}$  communi quotidie ingentem copiam cinnabaris per nudam istam transpositionem particularum fieri, notum; cuius usus non solum pictorius, sed quoque medicus, & nativæ, vel  $\text{S}^{\text{ta}}$  viribus parum cedens, præcipuè si è floribus  $\text{A}^{\text{e}}$ , &  $\text{S}^{\text{e}}$  fatis purificato studiòse paratur.

Thef. XXIX.

*Butyrum  
Antimonii  
an Mercurii  
droles?*

Communiter etiam liquor ille glacialis, qui in præparatione Cinnabaris transit, & butyrum Antimonii vocatur, Mercurii sublimati soboles videtur, indeque pulvis ex eo præcipitatus Mercurius vitæ, vulgò appellatur? Verum nihil aliud,



aliud est, quàm ipsissimus Regulus antimonii, cū  $\ominus$ ibus acidis in liquorem ejusmodi oleosum concretus; undè etiam sine omni Mercurio cum  $\ominus$ ibus solùm istis, horumque fluoribus, butyrum fieri potest, & sale isto sub nomine  $\ominus$  i vel potius  $\ominus$  is, philosophicò à butyro separato, pulvis relictus per abstractionem  $\ominus$  i non solum in bezoardicum minerale abit, sed etiam fusione in verissimum vitrum Antimonii redigitur.

## Thef. XXX.

Potest tamen  $\ominus$  i corrosivus etiam citra additionem novi mercurii vivi, vel Antimonii cicurari, ut à vi suâ mirum quantum remittat, quando nimirum  $\nabla$ . f. solutus mediante alcali quodam e.g. Spiritu  $\ast$ ci. vel oleo  $\text{¶}$  i ad summum saturatur, & præcipitatur, spicula ejus ob interpositionem particularum alcalicarum ita immutantur, ut post digestiones & edulcorationes diligentes; magisterium subtilissimum suppeditet, sine noxa, & cum successu intrinsecus quoque admittendum. Hoc solùm interest, quod à  $\ast$ ci addito albescat, eò quòd ab intimius penetrante volatili alcali isto, in molleculas tenuiores & splendescens abeat; ab oleo verò  $\text{¶}$  i flavescat, procul dubiò, quia hoc superficiem asperiores relinquit: Lusus naturæ color est, qui ex levissima solùm texturâ mutatâ, adeoque poris mutatis, quovis momento variare solet.

*Magisterium Mercurii album*

## Thef. XXXI.]

Nonnulli quoque  $\ominus$  m in Mercurio quærunt, cujus etiam mentionem fecit *Paracelsus*, eundemque in mania valdè laudavit: Neque dubium est, quòd, si  $\ominus$ ibus mediantibus, æque ac metalla, in  $\ominus$  redigitur, & destillationi postmodum subicitur, stigma aliquod acidulum fundat. Verum tales spiritus potius  $\ominus$ ibus additis, in fluorem redactis, debentur, quæ licet ramenta metallica secum abripiant, quorum etiam ratione aciditatem plus minùs simplicem præ se ferunt, aut tales effectus præstant, quales ab acidis simplicioribus expectare non licet; propterea tamen Spir. peculiaris nomen

*Mercurii an destur?*



nomen non merentur, quemadmodum Spiritus à Hni saccharo abstractus non Hni, sed ipsius aceti destillati est, licet Hni partes saccharinas in sinu foveat. Hartmannus ꝑ sublimatum miscet cum argilla in globulos, & è retorta destillat, ubi tamen phlegma tantum acidulum acquirit, progeniem Spiritus Θini acidi, quo mercurius jam ligatus erat: Partes nimium acriores à Terra addita absorbentur, paucioribus quibusdam cum phlegmate transeuntibus; Mercuriales verò ab Δe resolutæ, inter terreas, occultantur, aut etiam, si destillatio fortiùs urgetur, in recipientem transeunt. Par ferè ratio est, quando Mercurius ꝑt. cum limatura ꝑtis terendò, unitur & digeritur, donec in liquorem luteum abeat, qui destillatus fundit primò phlegma album, quòd nihil aliud est, quam ipsissima ∇, ab incalescente limaturâ ꝑtis in locò humidò absorpta, cui succedit fortiori Δe liquor oleosus, rubicundus, i. e. Mercurius ipse, sed inter sublimandum partibus quibusdam croceis è ꝑte sociatus. Nihil aliud efficit *Cardilucius* terendò Mercurium sublimatum cum aqua simplici, & in eâ ferrum coquendò, unde fit, ut vis corrosiva sublimati erodat ferrum, indeque liquor emergat dulcescens, ramentis ferri saturatus, qui destillatus eundem liquorem oleosum & rubicundum fundit. Sed loco ꝑtis etiam alia metalla, uti inter præcipitata jam observatum, combinari cum sublimatò, & in oleosam substantiam redigi possunt, quando e. g. mercurius vivus cum ꝑe priùs in amalgama redigitur, deinde cum sublimatò in marmore terendò intimè unitur, & in locum humidum reponitur, ut in deliquium abeat: Hoc è retortâ destillatum eundem liquorem, partibus metalli saturatum & dulcificatum suppeditat, qui denuo super novum metallum digestus, eò magis mitescit in medicamentum magnarum virium, non solum externe in ulceribus, sed intrinsecus quoque sumendum: Habet enim idem fundamentum, idemque vinculum, quò superius diaphoreticum Joviale, Ore, mercurius dulcis, Cinnabaris aliaque ligabantur, tantum quòd sub forma liquoris hinc incedat



incedat, quæ tamen facile mutatur: Quando enim phlegma leni calore abstrahitur, relinquit crystallos elegantes, qui leni calore digesti in pulverem elegantissimum faceſſunt.

Theſ. XXXII.

Hæc & plura certè alia ex unico mercurio, naturæ illò Pro-*Mercurius* teò, fieri poſſunt, ut, quæ aliàs de Glo & Giò dicuntur, quòd *crudus quo-* integro ferè pharmacopolio ſufficiant, optimò & meliori jure *modo ope-* de mercurio, ejusque præparatis prædicari queant: *Equidem retur?* ex hætenus recensitis ſolum apparet, quòd vel ſola Mercuria- lia viſciditatem & lentorem humorum efficaciffimè reſolvant & fundant, adeoque circulum eorum, & tranſpirationem non ſolum reſtituant, & viſcerum obſtructiones pertinaciſſimas expediant; ſed etiam, quod præcipuum, *Si* quæcunque peregrina, uti è menſtruis inter præparationes, ita in corpore, acida, auſtera & mixta, ubicunque etiam latent, avidiſſimè arripiant, abſorbeant, & ſecum per vias excretorias eliminant; In quibus certè omnibus præcipuum curæ momentum, maximè morborum chronicorum, ſitum eſſe, nemo Medicorum hodiè ignorat: Quoniam enim mercurium è globulis tenuiſſimis, læviſſimis & graviſſimis quidem, ſed ſimul elatiſtis & volatilibus, ſummeque mobilibus conſtare antea vidimus, facile liquet, quare vel ſolum crudus & ſibi relictus, quocunque modò corpori noſtro, aliàs poroſo, & ſumme perſpirabili extrinſecus ſolum applicatus, poros quocunque & mæandros unà cum aère penetret; humoribus itidem circulantibus ſemel miſtus, & à calore inteſtino ſimul actuatus cum iisdem in perpetuum circulum abeat non ſolum, ſed &, quæ globulorum iſtorum textura eſt, *Si* morboſa, imprimis acida, arripiat, & ſecum deferat, in cacochymicis ſæpiùs tam largè, ut ferè naturam Mercurii ſublimatei corroſivi induat, & vias, quorſum cum lymphâ derivatur, erodat, uti è Curâ per ſalivationem notum. Nemo; ergo credat, tantum foetorem & acrimoniam, quales in ſalivatione mercuriali communiter obſervantur, formaliter in ſanguine vel lymphâ delituiſſe, id enim abſque præſentaneò vitæ periculo

D

fieri



fieri haud poterat: Potius in colluvie & unione salium cum mercuriò tales fiunt, quemadmodum à  $\Theta$ ibus, diversimodè inter se mistis, varios quoque odores, & sapes extempore oriri, notum est.

## Thes. XXXIII.

Et Prepara-  
rata ejus.

Eandem naturam plus minus, pro diversitate præparationum & additamentorum, temperatam, vel auctam servant etiam mercurialia omnia hætenus recēfita: Licet enim in præparationibus istis totâ facie immutatus videatur mercurius; tantum tamen abest, ut indolem suam naturalem prorsus amittat, quin potius facili negotio repetat, præcipuè si minus fixatus fuerit. Ideò solum temperatur, non ut in metallicam duritiem redigatur alias iners medicina foret, quæ æque ac alia menstrui nostri vim eluderet. His accedunt præterea salia menstruis interposita, quæ itidem per frequentes edulcorationes & digestiones quidem modificantur, ita tamen, ut quoddam acumen ab iis servant; *Quoties à mercuriis sales distinxi, admiratus sum eorum ignaviam, inquit, Helmontius de Libris. C. 3.*

## Thes. XXXIV.

Usus.

Rebus ita comparatis mirum non est, ex unico mercurio tot tantaque Heroica in solamen agrorum haberi posse remedia, de quibus etiam jam tum Practicorum experimenta, & observationes ubivis obvix, loquuntur. Vulgo equidem soli lue veneræ, ejusdemque affinibus, nec non vermibus mercurialia deberi creditur; verum nihil obstat, quò minus in omnibus aliis affectibus, ubicunque cacochymia scorbutica, acida, austera, viscida subest, tuto adhibeatur, modo cætera fuerint paria, quicquid etiam in contrarium afferant alii: *Fabricius Hildanus Cent. 10 Obs. 97. p. 494.* jam fatetur, quòd, datâ operâ & consiliò Nicolai Massæ, fæminam prægnantem, & lactantem lue Venereâ afflictam inunxerit mercurio, & sic feliciter una fidelia, uti ipse loquitur, tres dealbaverit parietes; videlicet matrem & lactantem infantem | curandò, fætum verò nondum editum ab hac lue præservandò:

dò:



dô: cujus quidem imitationem nemini svaserim, sufficit tamen, ex eô constare, mercurialia tam infesta omnibus non esse, uti quidem aliis persuasum. Divinam eorum opem in scorbutô, malô hypochondriacô, maniâ, melancholiâ, arthritide experti sunt & extollunt: *Rolfinck Meth. Med. Gen Willis. de Anim. Brut. Part. 2. c. 12 & Patholog. Cerebri, Doleus Encycloped. 3. C. 7. Wedel. Amœn. mater. med. Collectores Ephem. German. A. 3. obs. 173. In hydrope pertinacissimâ Sylv. Pr. Med. In quartanâ Idem Willis. de febr. C. 6. Ballon L. 2. Epidem. Ephem. Germ. p. 131. 188. In suffusione & cœcitate perfectâ River. in Prax. P. 2. C. 5. Schenk. de suffusion. Observ. 2. Boyl. de util. Philos. experiment. p. 346. seq. & alii quàm plures.* Taceo jam usum extrinsecum & Cosmeticum, quo profectò quæcunq; alia longè antecellunt, modò ritè præparantem & applicantem inveniant.

Thef. XXXV.

Verùm quemadmodum Prudentis solùm Medici est, o- *Noxa.*  
 mnia non omnibus promiscuè adhibere, sed ubivis semper  
 circumstantiarum multiplicium, ætatis, temperamentorum,  
 virium, complicatorum, affectuum aliorumque rationem  
 exquisitam habere, ita imprimis in generosissimis istis & he-  
 roicis, summâ semper cautione & circumspèctione opus est:  
 Quod gladius est in manibus furiosi, id medicamentum ge-  
 nerosum in manibus imperiti Medici; & generosi semper re-  
 medii signum est, ex cujus abusu sæpè multa incommoda  
 fiunt: Unde etiam, quàm illustri mercurialium usus fit, tam  
 gravia & funesta symptomata excitare solent, si fortè minùs  
 præparata, aut sine regimine decenti applicantur. De qui-  
 bus tristia exempla legi possunt ap. *Panazol. Obs. Med. Chalder.  
 de Hered. Trib. Med. obs. p. 103. Hildan. obs. Chirurg. C. 5. Obs. 92.  
 Forest. l. 30. obs. 4. Willis. P. 2. Patbol. c. 2. Wedel. amœn. Ephem. Ger-  
 man. D. 1. A. 1. obs. 80. Dec. 2. A. 10. obs. 120. Act. Hassniens. Vol. 5. obs.  
 2. & alibi.*

Thef. XXXV:

Quare ne medicinæ infanti, præter culpam ipsius, infamia *Cautela.*  
 contrahatur, ante omnia curandum, ut satis peritis eâque,  
 quæ in singulis Processibus propterea tanto conatu requiri-

D 2

tur



tur, præparetur industria: Nullis hic laboribus, nullis sumptibus, nec tempori parcendum, ubi salus humani generis promovetur; Nihil hoc quoque in casu Dii sine magnò labore dederunt mortalibus: Nisi enim ritè præparetur, vel applicetur, ponderositate & mobilitate partium non solum meatibus & poris profundissimis etiam nervorum se in sinuat, eosdem obstruit, aut serum nimis fundendò laxat, & tonum fibrarum viscerumque destruit; verum etiam  $\Theta$ ibus suis acerrimis, quæ vel à menstruis habet, vel etiam ex istis humoribus cacochymicis absorbet, saturatus, ubicunque cum lymphâ, vehiculò illò  $\Theta$ ium, decumbit & perreptat, ingentes erosiones, inflammationes, convulsiones, aliaque mille mala inducit.

## Thes. XXXVII.

Propterea etiam nunquam mercurialia ejusmodi generosa adhibenda, nisi corpore prius à  $\Theta$ ibus superfluis, quorum certè omnis generis ferax corpus nostrum est, per alia universalia blandiora, liberatò, & quod præcipuum erat, visceribus & partibus adhuc integris gaudente. Quoniam enim ex antea dictis intelligimus, mercurium sive crudum, sive præparatum facili negotio  $\Theta$ ibus peregrinis complicari, vimque exinde corrosivam sibi contrahere, mirum non est, quod Cura per salivationem mercurialem in scorbuticis, & lue Verè affectis, sapius tantas erosiones & inflammationes faucium & viscerum, aliaque symptomata maligna excitet, quæ tamen omnia, corpore prius purgatò, & per mercurialia, dextrè præparata, evitari posse, certi sumus: In primis verò irritus & funestus horum usus est, ubi viscera, jam tum corrupta & à tonò destructa sunt; in horum enim restitutionem nihil affere, imò affluxum humorum, & corrosionem in locò affectò adaugere possunt. Ex his ipsis etiam spontè fluit, quod phlegmaticis magis & robustioribus, integrâ ætate gaudentibus, potissimum conveniant, minus verò Chole-ricis, ficcioribus, & senibus, quibus aliàs serum potius restituendum, quàm subtrahendum.

Thes.



De cœtero etiam in modô adhibendi cautione opus est, intrinsecus quidem forma pilularum, & bolorum omnino præstat, ne inter sumendum statim dentium gingivis laxioribus, vicinisque partibus, se insinuent; Alias verò nihil obstat, quò minus mercurius sublimatus dulcis, diaphoreticus, & zialis, Cinnabaris, aliaque optimè preparata, quacunque formâ cuivis grata, pro necessitate concedantur cum prudentiâ: Extrinsecus verò prorsus improbamus suffimigia è mercurialibus excitata, quoniam effluvia exinde concitata latius se expandunt, intimisque Corporis poris se insinuant, quibus aliàs minus destinata erant, & è quibus extricari difficillimè queunt. Pari ratione in dosi neque excedere, neque deficere convenit. Cum enim generosa ejusmodi & summè activa in minimò pondere operentur, sufficiunt omnino doses minores, per vices repetitæ, sed pro necessitate in pertinacioribus morbis, melancholiâ, maniâ, epilepsiâ, leprâ, aliisque etiam aucta, quæ alias à Prudenti Medicò facillè dijudicantur.

Thes. XXXIX.

Atque his aliisque obviis & satis notis circumstantiis probè observatis, omnis timor, odium & calumniæ cessabunt, quæ aliàs usum tam nobilissimi remedii suspectum reddiderunt: De quibus veritatis amor & experientia satis comprobata benè sentire jubent, rejicienda non sunt, licet periculosa; Abusus non tollit usum, hinc scomata & fulmina in mercurium, nauci facienda.

ODE



## ODE ALCAICA.

Vates celebrant, alipedem Deum  
Interpretando reddere nuncium  
Coeli incolis, nec non ad astra  
Tartara pallidulos Charonti

Offerre manes. Non rationibus  
Haec res carebit: Concelebrant enim  
Hermetis artis Trismegisti  
Mercurium artifices per ignem

Sono canoro. Quippe volubilis  
Hic errat erro per microcosmicos  
Passim maeandros, angiportus  
Corporis & penetrat minutos.

Quem si sagaci mittere dextera  
Novit Medentis sedulitas proba,  
Annunciat membris salutem,  
Estque Dei manus haec medela.

Ast quando casu in praecipiti datur  
Manu impudica Mercurius vagus,  
Argenteos laedit proterve  
Funiculos, nocet isque venis.

Hoc



Hoc indicasti Tu me letemate  
PEZOLDE docto. Mercurius Tuum  
Inscribet astris nomen, idque  
Concilio Superum dicabit.

*Nobil. Dn. Candidato  
boni ominis ergo benivole  
f.*

GEORGIUS FRANCVS de FRANKENAV,  
S. R. I. Eques, Pal. Caes. Comes, Aliquot Ele-  
ctorum & Principp. Consil. ac Archiat. Prof. Primar.  
Acad. LEOPOLD. Adjunctus atque Italicae Recupe-  
ratorum Collega, designatus Archiater Regius Danicus.

---

**H**oc, age, per laudes pleno conten-  
dere cursu  
Festines, aderit prosper Apollo  
tibi,  
Aeternumque decus vigili dabit ille  
labori,  
Evehet ad summum cunctaque  
coepta brevi.

*Pro virtute, doctrinaque ornatissimi  
Juvenis, ominabatur*

JO. GOTHOFREDUS BERGER, D.  
Ardua



**A**rdua moliris; prænobile germen Hygææ  
PEZOLDE, ingenii quod probat hic-  
ce Tuus

Fœtus, quo monstras, quantâ medicamina cun-  
cta

Jam tum disquirens dexteritate probes:  
Et Tua quid possit Virtus, quid præbeat usus  
Quam teneas strictâ pharmaca pura ma-  
nu.

Sic bene res acta est, dum fundamenta coluntur;  
Hoc Medico studium commoda mille dabit.

Maeste Tuis donis solerti indagine mentis

Et porro in usus singula verte Tuos.

Mox merita laudes Tibi surgent, summus Apollo  
Summis pro studiis læta brabæa dabit

*His.*

*Laudatissima studia Eruditissimi Domini  
Respondentis excipere, eaque inclytæ  
Patriæ gratulari debuit.*

P R Æ S E S.





01 A 66 06

ULB Halle 3  
002 937 204



sb.

V D 17











23  
23

Q. D. B. V.  
De  
**MERCURIALI-**  
**BUS MEDICAMENTIS,**

SUB PRÆSIDIO

*VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLEN-*  
*TISSIMI ET EXPERIENTISSIMI*

**DN. CHRISTIANI VATER,**  
Phil. & Med. D. Anat. & Botan. P. P. cele-  
berrimi, Phys. Provincialis meritissimi & Acad. Nat.  
Curios. Collegæ dignissimi,

*Dn. Patroni, Hospitis & studiorum suorum*  
*Promotoris omni observantiâ colendissimi,*

Ad d. Jun. A. M DC XCV.

*In Auditorio Medico*

differet

**JOH. CHRISTOPH. PEZOLDUS,**  
Mega-Glogâ Siles.

---

VITEMBERGÆ,  
Stanno CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.